

59. delictis non scindatur contritione, ac poenitentia. Secundo. Nos modo in lege Evangelica sumus tamquam in umbra, ac figura per respectum ad aeternam Beatitudinem teste Apostolo 1. Corinth. 7. num. 31. etc.

60. Tertio ut dixi citata quaest. 9. quomodo fieri potest, ut Sancti Patres, ac Doctores argumentantes contra Haereticos eis opponant statum Religiosum in Elia, ac Elifaeo in figura, cum Haeretici diabolico, ac venneoso spiritu, & ore, ut negent veram, & realem Christi praesentiam in Eucharistia dicunt, quod illa verba: Hoc est corpus meum, hic est Calix sanguinis mei, per tropum, figuram, ac signum sint accipiendae contra vero omnes Catholici pugnant, esse accipiendae, in legitimo, vero, ac connaturali sensu, alias tota veritas scripturae destruitur, & sic dicemus, quod per figuram, ut tropum deus creaverit mundum, Adamus peccaverit, & omnis caro corruerit viam suam, ergo ut firma veritas persisteret, in suo naturali sensu accipienda sunt verba, ac proinde ut argumentum habeat efficaciam in vera, ac reali acceptione intelligendi sunt Patres, cum de Elia loquuntur, licet non ea perfectione, ut in lege gratiae.

Quartum fundamentum.

61. Zelus communiter definitur; Est praclarissima virtus, quae pro posse ac omnibus viribus quaerit, ac intendit gloriam Dei, & destruere quidquid illi est contrarium, sed magis quaeritur, ac intenditur gloria Dei per virtutes voto firmatas, quam simplices, ergo cum Elia sit summus Zelator honoris Divini, ejus virtutes fuerunt voto firmatae, Major est certa, & communis definitio, Minor est certa, per id magis, ac magis quaeritur, ac intenditur gloria Dei, per quod magis obligatur homo ad illam, quaerendam; sed magis obligatur per vota ergo, magis intenditur gloria Dei cum votis, quam sine illis, per quae magis corroborantur.

62. Consequentia est optima, & principalis; quia si virtutes Eliae non fuerunt voto firmatae, dabitur alius major Zelator, quam Elia, quod non est admittendum. Ipse enim proponitur ab scriptura, ut summus Zelator honoris divini 1. Matth. 2. n. 58. Elia dum zelat zelum legis receptus est in Caelum, & a Sanctis Patribus, ac Pontificibus, indeque ab ipsis omnes exhortantur ad imitandum ejus zelum ut habetur ex jure Canonico c. 23. q. 4. Cap. Si illi universus populus Christianus ad pugnandum, & standum pro honore Dei cap. Quod Christus, & cap. Gensiferius eadem quaestione pro populi salute procuranda, c. Cum scriptura 1. quaest. 1. Omnes Episcopi, & Praelati admonentur pro virtutibus planandis, & vitis propulandis, d. Chryostomus lib. 3. de Providentia, universi Reges, & principes ad interficiendos, ac comprimendos haereticos, ac sacrilegos, d. Antonius Abbas, ut refert in ejus vita d. Athanasius dicebat ad suos Monachos. Eliam, & Elifaeum, ac filios Prophetarum quos constat veneratiter veteris testamenti monachos imitari curare.

Quintum fundamentum.

Si aliquid obstaret, ob quod non darentur vota, & maxime castitatis esset imperfectio illius legis; atqui hoc non obstat, multo enim perfectius, & excellentius est martyrium, dicente Christo domino, Majoriorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis Joan. 15. n. 13. & tamen in illa lege dabatur martyrium, ut constat ex paulo supra citato, & ex D. Stephano Actor. 7. num. 52. Quem prophetarum non sunt persecuti Patres vestri, & occidebant eos, qui praeannuntiabant de adversu iusti, ergo imperfectio legis non repugnat Responderunt adversarii perfectius esse martyrium, quam votum; tamen quod votum pro illo tempore habebat multam repugnantiam ob affectum, quem omnes habebant ad generationem naturalem, ut fierent Patres Christi; Contra tamen sic in isto, Multo magis repugnat cum generatione naturali martyrium, quod involvit mortem, quam votum, quo stante potest dari generatio licite, vel illicite interveniente dispensatione.

Videntes adversarii hujus instantiae vim ad aliud confugiunt dicentes, quod Martyres tenebantur ad martyrium amplectendum ne fidem deserent; nam eis data fuit optio, quod idolis sacrificarent, vel iniquis Imperatorum mandatis obedirent, vel martyrio colla darent, & pro conservanda fide martyrium sunt amplexati.

Sed contra, Imprimis, id, quod assumit non est verum; nec enim omnibus hac optio data est; ut sacrificarent idolis, vel morentur; nam Abel mortuus est a Caino ex odio, & invidia, Eleasarus mortuus est, ne suis malum praeretur adolescentibus exemplum 2. Machab. 6. n. 24. Daniel, quia contra Regis edictum in domo sua oraret januis apertis missus est in lacum Leonis cap. 6. n. 14. Duae mulieres, quia delatae sunt naros suos circumcidisse simul cum pueris ab uberibus suspensis praecipitantes ex muro 2 Machab. 6. n. 10. sic omnes ferè Prophetae Isaias, Jeremias, Ezechiel, Zacharias, & alii occisi sunt; quia populum increpabant; Joannes Baptista, quia arguebat Herodem, sic & noster S. Angelus Carmelita, qui incestuosum Berengarium increpabat, & anno 1674. impressa est Madriti Historia Anglicana cum appendice multorum martyrum, qui ab Haereticis occisi sunt, vel quia praedicabant fidem Catholicam, vel quia fuerunt in eorum domo Cruces, imagines & paramenta Sacra.

alii vero Martyres, si vellent, poterant vitare Martyrium, ut de D. Andrea dicitur, qui a populo liberari poterat, sed ipsum cohibuit, ne exoptatam martyrii palmam impediret; alii sancti poterant Deum exorare, ut eos a laqueo venantium eriperet, ut liberavit Apostolos a carcere Actor. 5. n. 19. retrum a vinculis Actor. 12. n. 7. magnum raulum de naufragio, ac de tot, & tantis periculis, B. Teclam a multis cruciatibus, sed ab hoc se se abstinerunt sancti, vehementissimoque desiderio properabant ad coronam Martyrii, ut diceret D. Ignatius; Utinam fruar bestiis quae mihi sunt preparatae, quas oro mihi velociores esse, &c.

Sextum fundamentum.

Votum est voluntaria, & liberata promissio facta deo de aliquo meliore bono animae se obligandil. ta Bonacina tom 2. q. 2. de voto. unica propositio & n. 1 citans multos doctores, & addit. 6. quod

quod promissio tantum interior, & mentalis sit, cum Deus intueatur cor nostrum. haec autem promissio mentalis sit manifeste dupliciter per verba externa v.g. voveo Deo vel per externam, & perennem ostentationem factorum, ut in Apostolis, Joanne Baptista, ut tenet D. Thomas, noster Vaudensis, & alii multi, quos citavi in opusculis, opusc. 3. quaest. 5. num. 38. & etiam in illis, qui fuerunt in primitiva Ecclesia, ut tenet Suarius tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 2. num. 17. & Lorianus, Cornelius, Sanchis ad caput quintum Actorum, de Anania, & Saphira, atqui Elia per totam suam integram vitam observavit virginitatem, ut ait D. Ambrosius lib. de Virginitate, Ergo erat Elia ideo curru raptus ad Caelum, & ideo cum Domino apparet in gloria. Perennem paupertatem observavit per totam integram vitam, ut ait D. Chryostomus; qui pauperius Elia, qui nihil praeter meliorem habebat, & ad illa verba Hebraeorum 11. in pellibus caprinis, explicat Glossa & Septem expositores ut Elia, & Elifaeus & de perpetua constantia, obedientia ad Deum, & jus missus. Constat ex ferventi zelo quo flagrat in mandatorum illius observantiam.

Deinde dicitur Ecclesiast. cap. 48. num. 1. Surrexit Elia tanquam ignis, qui consumit, & comburit quidquid esset terrenum, tam in se, quam iuxta se, & D. Ambrosius ait; Elia ascendit in Caelum triumphator non barbararum nationum, sed propriorum appetituum, D. Chryostomus ait, quod Elia sic homo caelestis, Angelus terrestris, id est tam purus erat in terra, ut videretur magis Angelus, quam homo, similiter Apostolus Jacobus in sua epistola Canonica cap. 5. num. 27. Elia homo erat similis nobis passibilis. Cum eum hominem vocat, addit quod erat similis nobis, passibilem, quia tanta ejus puritas, quod videbatur esse super hominem, ut ne quis cogitaret aliquid esse super hominem, ideo tantis explicat ejus humanitatem, de quibus multa dixi citato opusculo. 3. q. 6.

Atqui docet D. Thomas supra num 44. non posse hominem servare per totam vitam nisi per voti obligationem, & cum alias esset valde magnus, necesse erat ad observationem talia retinere nisi per voti obligationem, quae colligitur ex factis, non tanta perfectione, ut Apostoli.

Et his omnibus vide citatum opusc. 3. q. 5. 6. 7. 8. de his omnibus latius ibi.

Pro quo nota quod virtutes Eliae, Virginitatis, paupertatis, obedientiae, valde sublimis, ac eminentissimae fuerunt a Deo remuneratae; ergo in se fuerunt valde sublimes, ac eminentissimae; nam ex magnitudine praemii colligitur magnitudo meriti.

Virginitati Eliae tribuit D. Ambrosius, quod curru igneo elevatus sit ad Caelum; ideo cum Domino apparet in gloria, ideo Domini praecursor est adventus, quod nulli mortalium datum est, ut tanto triumpho ascenderet in Caelum; Cum Domino apparet in gloria, & tunc ipse Elia visus est in majestate, ut scribit D. Lucas 9. num. 30. Et venturus est praecursor Domini adventus, ut Apostolus resituens omnia Matth. 18. ejus paupertas mirifice extollitur ab Apostolo Hebraeorum 11. numero 31. Cir-

cuierunt in melioris, in pellibus caprinis egentes, Elia ad. Ubi expresse intelligit Eliam, & Elifaeum, ut nominatim dicunt Glossa Interlinealis, D. Chryostomus, Euthymius, Theophylactus, Theodoretus; D. Chry-D. Remigius, D. Anselm. D. Thom. Hugo, Cajetan Benedictus, Justus, Cornel & alii, nota quod cum ibi Apostolus loquitur de virtutibus sanctorum veteris Testamenti Abel, Henoc, Noe,

Abraham, Isaac, Jacob, Moyses, Davidis, ac Sanctorum Martyrum, eorum tamen virtutes non tanto celebrat encomio, ut Elia, ac Elifaei paupertatem, adjungit quippe immediate, Quibus dignus non erat mundus, ejus obedientia supra modum est exaltata, obediens ipse Angelo per longam viam ambulans, vidit in Horeb Deum, quantum fas est homini, ut ait D. Basilus, quo nullum majus praemium poterat esse. Virtutes ergo tam singulares ac admirabiles tam eminenti, ac sublimi praemio remuneratae valde sublimes, ac perfectissimae in se perfusserunt, quae tanta sublimitatis excellentia sine voto non poterat consistere, nam ex praemii magnitudine magnitudo meriti bene deprehenditur.

Inhabis, ut aliqui ex adversariis innuunt, quod Deus in lege veteri dederit uni vel alteri viro illustri unam, vel alteram virtutem, v.g. vitam puram, votum castitatis, vel paupertatis, non tamen per modum status permanentis, quod requiritur ad statum religionis.

Contra, in lege antiqua dabatur Nazaraei cum multis observantiis, castitatis voto, ut late probavi citata Resol. 3. quaest. 2. per modum status permanentis, dabatur Rechabita per modum status permanentis cum voto paupertatis, & obedientiae, ut patet ex Jerem. 35. & num. 6. 7. & 8. & late tractavi citata Resol. 3. quaest. 3. Idem dicendum de Ellenis, qui vivebant cum Religione, ac reformatione in vita, obedientiae, paupertatis, ac castitatis, de quo late agunt Philo, Josephus, Cedrenus, & alii Auctores antiquissimi, quasi eis Joseph, contemporanei, & frequenter multi Patres, ut late tractavi dicta Resol. 3. quaest. 4. Tandem status Ecclesiasticus: & Ordo Summi Pontificis, Sacerdotum, Levitarum Pfallentium, erat per modum permanentis in lege veteri, non tamen ea perfectione, ut in lege gratiae, cur & non sic erit status Religiosus.

SECTIO III.

Ex verbis Sanctissima Virginis Mariae probatur & confirmatur nostra sententia.

Semper in omni causa Carmelitana adest patrona Sanctissima Virgo maria, sic & in praesenti ait ipsa revelatione maxime approbata ab Ecclesia D. Petro Thomae, Confidito, Petre, Religio enim Carmelitarum in finem usque saeculi est perseveratura, sic Elia ejus namque Institutor jam olim etiam a filio meo id impetravit.

Religio autem in communi in sua latitudine ex communi Doctorum sententia ait Bordoni tom. 5. cap. 1. de professione regulari num. 1. tribus modis sumitur seu in res species dividitur in Baptismalem, Clericalem, Regularem. Baptismalis per Baptismum homo ingreditur in Religionem christianam, & fit membrum Christi, de quo dicitur in collecta Apostolorum: Per quos religionis sumpsit exordium. Secundo Clericalis, per quem novo, & peculiari modo assumitur ad Christi obsequium homo, eique consecratur, ac in sortem illius eligitur. Tu es, qui resitues hereditatem meam mihi. Tertio accipitur Religio pro regulari cum tribus votis firmata.

Cum ergo Sanctissima Virgo ait, quod Religio Carmelitana instituta est ab Elia, non loquitur de religione Baptismali, nec Clericali; quia neutra ab Elia derivatur, loquitur verò de Regulari cum

1. Cor. 7.

D. Greg.

D. Hier.

1. Cor. 13

60.

Sancti Patres exponunt Haereticos.

61.

Quid sit zelus.

62.

Elia summus zelator.

Inca juvis.

D. Chryso.

D. Ant. D. Ath.

63.

Joan. 15.

Act. 7.

64.

Rei citur responsio.

65.

2. Mac. 6.

Impugnatio.

2. Mac. 6.

66.

Act. 5.

Act. 12.

67.

D. Basil.

69.

70.

In lege veteri status per modum permanentis. Jerem. 35.

Philo. Joseph.

71.

D. Petrus Thomae.

72.

Bordoni.

73.

Religio Carmelitana ab Elia cum votis.

Mend. Menoch. Gama. Cenedo. Barbol.

tribus votis, respondebunt, quod Sacratissima Virgo loquitur late, & improprè, sed dicam go, quod ipsi magis late, & improprè loquuntur, quam quod suprema Regina totius sapientia, scientia, ac intellectus aliquid improprium dixerit, & maxime cum sint verba suprema, atque sublimis majestatis in proprio, ac genuino sensu sunt exponenda, ac intelligenda Mendoz. de Privileg. Ad instans quæst. 2. num. 15. Menoch. de arbit. cap. 3. 14. n. 13. Gama Lusit. de if. 123. num. 2. Cenedo & alij multi apud Barbofam in Diction. diction. 252. n. 2.

SECTIO. IV.

Probatum nostra sententia auctoritate magnorum Patrum, ac gravissimorum Doctorum.

74.

Athores, quos proposui de hac re Opusculo 5. resol. 3. quæst. 10. etiam hic repetam multis additis, ut magnum eorum numerum adimpleam. Et pro majore hujus rei intelligentia notanda sunt illa verba Christi D. Matthæi 19. n. 12.

Sunt Eunuchi, qui de utero matris. sic nati sunt, & sunt Eunuchi qui facti sunt ab hominibus, & sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter regnum Cælorum. Tria Eunuchorum genera proponit Christus Dominus ut late explicavi tom. 6. in Evangelia cap. 19. Matth. quæst. 11. Primo sunt Eunuchi ex utero matris, ut potes valde frigidi, ac inepti ad generationem: Secundo arte ab hominibus facti, Tertio sunt illi, qui mage castitatis voto se Deo dicant, & consecrant, quia ut perbellè ex PP. D. Irenæo, D. August. D. Fulgentio scribit Bellarm. lib. 2. de Monachis cap. 23. dicens, Ipsa Eunuchorum appellatio perspicue indicat votum, non enim est Eunuchus, qui solum se continet, sed qui non potest non continere. Et etiam cum illdem Patribus, & D. Chrysof. D. Ambros. D. Anselm. D. Thom. docet Suar. tom. 3. de Religion. cap. 1. num. 16. & 17. ac proinde, ille est Eunuchus spiritualis, qui ex voto est impotens ad generandum, & ita ait D. August. lib. de Virginitate cap. 23. Quid veracius quid lucidius dici possit? Jesus Christus dicit eos, qui pio proposito ab uxore ducenda se continuerint castrare se propter Regnum Cælorum. Hoc posito.

D. Iren. D. Aug. D. Fulg. Bellarm.

D. Chrysof. D. Ambros. D. Thom. Quid sit Eunuchus spiritualis.

75.

D. Epiphanius hæc s. 43. ait, Elia, & Elifæus, & Joannes, qui per magnam hanc formam, imitatores Angelorum, recte secundum Evangelicam Domini ordinationem se ipsos propter regnum Dei castraverunt.

Tertullianus lib. de Monogamia cap. 8. agens de Transfiguratione Christi sic ait, Moysen, & Eliam secum vocat, alterum monogamum, alterum spationem. Explicant commentatores Eliam cum voto.

D. Anasthasius Sinaita tom. 6. in Bibliotheca in questionibus Scripturæ quæst. 66. ait, Eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Cælorum hi sunt præclari Apostoli, atque deinceps fuerunt Virgines, & Eunuchi, Joannes quidem, & Jacobus filij Zebedæi, & post illos quot millia monasticam vitam agentia, sicut Elia, Daniel in veteri Testamento.

D. Ephrem Syrus quem citat, ac sequitur Sallianus anno 3123. num. 21. ait, Sanctus Ephrem Syrus Eliam, & Elifæum, & Joannem, & Paulum Apostolum in eorum numero recenset, qui se castraverunt propter Regnum Dei.

D. Amandus de laudibus Virginis cap. 11. referens, Eunuchos propter regnum Cælorum numerat Joannem, Eliam, & Elifæum.

D. Fulgentius lib. de fide ad Petrum cap. 5. ait, Quisque se ipsum castraverit, propter regnum Cælorum, in corde suo continentiam voverit: Atqui Elia dicitur à sanctis Patribus castratus, ergo cum voto.

D. Hieronymus epist. 28. quæ est ad Lucianum, ait, Elifæus boves, & juga prioris operis vertit in vota. Arabat Elifæus in duodecim jugis bonum 3. Reg. 19. num. 14. Ut sequatur Eliam cum vocantem juga prioris operis vertit in vota, Nota, non ait votum, sed vota quia lucrum, quod ex tam copioso aratro poterat comparare vertit in votum paupertatis, & dominium ex familia, & aratro acquirendo vertit in votum obedientiæ & uxorem, ac filios, quos poterat ex aratro obtinere, vertit in votum castitatis.

Cardinalis Hugo cap. 9. Lucæ ait, Elifæus in aratro coxit carnes, mactavit boves, id est Religionis fecit votum. Concremato aratro coxit boum carnes, & dedit pauperibus, dimissisque omnibus sequutus est Eliam, Religionis fecit votum.

D. Antonius Olyssiponenf. scem. in Dominica 5. post Trinitatem ait, Elifæus coxit carnes, id est carnales concupiscentias in contritione cordis suis, ac proinde ex voto castitatis omnes suos contempsit appetitus.

D. Isidorus lib. 2. de Officiis cap. 15. inquit, Quantum enim pertinet ad auctoritatem veterum Scripturarum hujus propositi Princeps Elia, & discipulus ejus fuerunt.

Joannes Jerosolymir. de Inffit. Monach. per totum præcipue cap. 9. 11 Clithoveus tom. 2. homil. 21. & ait, Virginitatis perpetua votum ab Elia originem habet.

Trithemius de laudibus Carmelit. cap. 2. Fratres autem Carmelita sancti Principis Elia exemplo instructi ad perpetuam castitatem voto Religionis se obligant.

Rupertus Arboresiensis de Cælibatu fol. mihi 3. ait Etiam in Catalogo eorum, qui virginitatem voverunt, Elia, & Elifæus scribendi sunt.

Illustrissimus D. Joannes Suarez Episcopus Combricensis in Matth. cap. 2. tit. 1. Vbi introducit sanctissimam Virginem loquentem cum Angelo annuntiante. Et si sin desponsata, votum habeo Virginitatis, habebat enim exemplum in Elia, & Elifæo, & subdit, Licebat igitur, prout ex præcedentibus liquet, vota emittere, & castitatem servare, quod semper laudabile fuit.

Magnus Joannes Carthagensis ex Seraphico Ordine tom. 4. lib. 2. object. 7. ait, Elia tria vota substantialia Religionis emisit.

Agidius Camartus dignissimus generalis Minorum de rebus Elia cap. 6. sect. 8. ait, Elia omnium Monachorum parens fuit quia tria essentialia vota Religionis primus ipse opere implevit.

M. Thomas Ferrari ex Societate Jesu in historia Imaginis del Monte de la guarda cap. 1. ait, Elia ad honorem B. Virginis emisit votum in Carmelo Virginitatis perpetua.

Doctissimus Sallianus tom. 4. Annal. ad annum 3139. num. 2. ait, Eliam tamquam Cathedra Moysis loquentem audiamus, & in ejus manibus vota vestra offeretis.

Insignis Mag. Suar. tom. 3. de Reli lib. 31. cap. 1. num. 2. ait, Ante legem novam in usu fuisse tria vota, in quibus substantia status Religiosi consistit, verissimile videtur. Et quoniam sapiens l' mas Doctor contrariam teneat sententiam, nostram tamen dicit verissimilem.

Episcopus Dertulanus ferm. S. Theresia ait, Elia fuit

Ex nostris.

fuit primus homo, qui castitatem voverit, ut infert Hieronymus, & Isidorus.

M. Vincentius Baron. ex Sacro Prædicatorum Ordine in ferm. de S. Theresia ait: Elia tempore legis scripta capite præstare eminentem perfectionem Evangelicam, vota fecit castitatis, voluntaria paupertatis.

M. Petrus Valdenama ex sacra familia D. August. in Theatro Religion. ferm. de S. Elia Propheteta, ubi Però sin duda Elias fue el primero que guardò virgindad, y la enseñò a guardar en el testamento vicio a sus Religiosos.

Onufrius saltus Valentinus in vita S. Onufrii Regis cap. 18. ita ait Frayle fue Elias, y el primero que entre los hombres hizo voto de Castidad.

Josephus Siguenda lib. 2. divers. 2. de la Castidad, & ait: De los hijos de los Prophetas, que en la escuela de Elias, y Eliseo vivian sin mugeres, sin haciendas, donde claramente estan calificados los tres votos.

Petrus Lucius in Compendio Historiarum cap. 3. ubi expresse ait, quod Elia, & Elifæus fecerint castitatis vota

Ludovicus Tena in ferm. S. Theresia Matriti anno 1615. ubi ait, La sagrada Religion del Carmeloniense su principio en Elias, qua fue el primero bre, que hizo voto de Castidad.

M. Fr. Joannes Saguensis de virtutibus Moralibus lib. 4. cap. 3. num. 7. ait, Præclarum de hac re habemus documentum, & maxime in Elia, & Elifæo, qui tribus votis Religionis se Deo consecrarunt.

Vellossillus in advertent. ad Theologiam q. 13. ubi ait maxime attendendum ad Religionis vota, quæ ediderunt Elia, & Elifæus.

Richardus Al de proprietate Monachorum cap. 31. similiter idem habet apertis verbis de Elia, & Elifæo.

Petrus Ribera de la Orden de S. August. ferm. de S. Theresia Matriti anno 1627. ait, Elia fue el primero de los mortales, que en carne humana se consagrò a Dios spontanea, y voluntariamente en perpetua virgindad.

Patres, qui eos Monachos appellant.

76.

D. Macharius verus D. Pauli Eremita discipulus in ferm. ad Monachos ait, Fratres charissimi, Eliam & Elifæum, & filios Prophetarum, quos veraciter veteris testamenti monachos imitari curate, hos secuti sunt Paulus, Antonius, & multi alij.

S. Odilo in vita S. Maioli in Bibliothec. & apud Lipomanum, ait, Inde cepit ordo Monasticus pullulare, & ut verius dicam reviviscere, quem à Beato Elia & Joanne Baptista novimus processisse.

S. Hieronymus epist. ad Rusticum ait; Filij Prophetarum, quos monachos in veteri testamento legitimus.

Rupertus in exposit. ad cap. 4. Cantie loquens de Elia, & Elifæo ait; Quos fuisse monachos in veteri testamento sentit auctoritas Patrum venerabilium.

Cassianus lib. 1. de Institutione Monach. cap. 2. ait, qui in veteri testamento hujus professionis fundavere primordia, Eliam scilicet, & Elifæum Divinarum scripturarum auctoritate demonstratur.

Bernard Cassinensis in expositione Regulæ S. Benedicti ait, Attende bene, quod in veteri testamento, quod Elia, & Elifæus Monachorum inventores extiterunt.

Doctissimus Thomas waldensis lib. de Sacramentalibus 13. cap. 89. & lib. 3. doctrinalis fidei artic. 2. cap. 23.

Paleonius Author antiquissimus & magnæ auctoritatis lib. 1. de origine Ordinis Carmelitar. cap. 1.

Insignis Mag. Petrus Corneius in Regia Salmanticensi Academia publicus Cathedraicus in Conclusionibus habitis Romæ anno 1613. conclus. 13. ita habet, Forma monastica disciplina sub observantia trium votorum ab Elia primordially emanavit.

Didacus Coria in Chronica Carmelitarum l. 1. cap. 7.

Petrus Sarracenus in Menologio Carmelit. in vita S. Elia.

Joannes Molina de Institutione Carmelitarum cap. 1.

M. Petrus Muñoz in doctissimo Propugnaculo Elia lib. 2. tit. 1. cap. 2. art. 5. n. 4.

Thomas à Jesu Vir insignis Religione, ac virtute lib. de antiquitate Ordinis, ac super regulam Carmelit. 1. p. cap. 3. §. 4.

Thomas Aquinas de Patriarchatu Elia pag. 3. sect. 3.

Franciscus à S. Maria tom. 1. in historia prophetica & in Apologia de hac re per totum.

M. Lezana valde promeritus de Religione t. 1. Annalium in apparatu cap. 4. à n. 10.

M. Daniel à Virgine Maria magnus antiquitatum indagator in vinea Carmeli in appen. fol. 705. à num. 226.

Petrus Vuestelius lib. 1. Vindictarum sect. 5. art. 2. & 3.

M. Philippus à Sanctissima Trinitate Generalis nostrum Discalceatorum in historia Carmelitana lib. 1. cap. 2.

Doctissimus P. Franciscus Bonæ Spei, cujus sapientiam prædicant ejus opera de visione Elia disp. 3. & in suo Armentario Carmelitano multa eruditione, ac studio elaborato per totum, maxime scuto 6.

M. Fr. Antonius ab Spiritu Sancto Episcopus Angolensis vir maxime eruditus tractatu de Primatu Elia.

Et ego tom. 1. in Evangelia lib. 2. cap. 11. q. 10. & opuscul. 3. Resolut. 3. per decem, & novem quæstiones.

Ecce hinc in confirmationem nostræ sententiæ adduxi quinquaginta, & tres doctores, triginta octo ex extraneis, & maxime aliarum Sacrarum Religionum, alios vero ex domesticis, & quamvis domestici, multam vim, & auctoritatem habent ad probandum ut tenent Mantica de tacita, & ambigua conveniente lib. 8. tit. 14. n. 11. Mascardus de probat. 6. vol. 1. conclus. 3. n. 1. ubi multos citat.

SECTIO V.

Probatum nostra Resolutio ex duplici Decreto diffinitivo sancte Inquisitionis, & etiam auctoritate Magistri Sacri Palatii.

Cum magna controversia fuisset excitata: An in lege veteri darentur tria vota substantialia Religionis, & res esset deducta ad Tribunal sancte Inquisitionis, convocatis viris doctissimis totius Hispaniæ

77.

Mantica. Mascard.

78.